



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

IV. An repugnet infinitum corporeum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

lineam præcedentem finitam quantitate finita: ergo neque esset finita, neque infinita. Rursus esset finita, quia excederet tantum quantitate finita præcedentem lineam finitam: esset infinita, quia excederet maximam finitarum: ergo implicat linea illa, in qua tot contradictiones includuntur. Respondeo facile: possibile non esse pyramidem infinitam, neque adhuc diuina mente concipi posse, quia de ratione infiniti est non habere terminum, neque figuram, & de ratione essentiali constitutiva pyramidis est habere figuram, & terminum.

12. Occurrit Arriaga, & idem argumentum conficit in multitudine infinita Angelorum, quam Deus potest in instanti percurrere annuendo duos, tres, quatuor, &c. quousque perueniat ad multitudinem infinitam, transactis iam multitudinibus finitis, de illa ergo multitudine immediata multitudini maximæ omnium finitarum inquiritur an sit finita, vel infinita? non finita, quia est maior maxima finitarum, non infinita, quia excedit tantum unitatem finitam multitudinem finitam finitam propter hanc rationem: infinita propter præcedentem: ergo incidimus in manifestas implicationes, si concedimus multitudinem infinitam adhuc rerum possibilem. Hoc argumentum est difficillimum omnium, quæ contra naturam infiniti fieri possunt, tamen difficultati cedendum non est. Respondeo, multitudinem infinitam Angelorum possibilem intuitu cognosci à Deo ut est in se infinita, & eodem modo cognoscere unitates singulas contentas in tali multitudine infinita, similiter infinitos numeros, seu infinitas multitudines finitas contentas in multitudine illa infinita. Insuper concedo posse Deum in infinitum annuere finitos numeros inuicem se excedentes, ne tamen possit cum hac proportionem finitos percurrere numeros, & posse cum eadem proportionem multitudinum se inuicem secundum unitatem simplicem excedentium totam multitudinem infinitam percurrere, quia omnes illæ multitudines cum hac proportionem se inuicem excedentes licet in infinitum possint augeri, tamen sunt finitæ, ac proinde ultra illa extant aliæ infinitæ unitates in illa multitudine infinita. Ad argumentum in forma adductum respondendum est negando illud antecedens: Deus potest producere totum infinitum annuendo duo, tria, quatuor, &c. ita ut accedat ad aliquam multitudinem finitam infinitæ immediatam, quia Deus non potest repetere in multitudine infinita multitudinem finitam, quæ in illa non est, & cum non sit in multitudine infinita aliqua multitudo finita immediata infinitæ multitudini, ita ut inter ipsam, & multitudinem infinitam non sit alia maior multitudo finita, mirum non est Deum non posse illam reperire: semper tamen concedendum est Deum posse in infinitum multitudines finitas inuicem se excedentes annuere, quia excessus inter entitates finitas, in infinitum potest augeri, numquam tamen potest esse infinitus.

PUNCTUM IV.

An repugnet infinitum corporeum.

Potest inquiri an repugnet aliquod corpus infinite extensum, & an repugnet infinita corpora extensa, quorum quolibet finitam habeat extensionem, quæ vix inter se differunt, & ita utrumque simul definiam.

§. I.

Propria sententia.

1. SEntio repugnare corpus infinitum infinite extensum absque vlla penetratione, & similiter infinita corpora non penetrata. Fauent huic conclusioni, quotquot affirmant absolute repugnare infinitum corpus, & corpora infinita simul existentia. Hi sunt D. Thom. 1. part. quest. 7. art. 3. & 4. Vasquez ibid. disp. 16. n. 1. Conimbr. lib. 3. cap. 8. q. 2. art. 1. Pereira lib. 10. Physic. c. 11. Rub. 3. Physic. tract. 2. q. 3. n. 85. Albert. de prædicam. quantitatibus disp. 4. quest. 4. qui omnes absolute asserunt repugnare corpus infinitum & multitudinem infinitam corporum. Ex his, qui infinitum actu existens non repugnare defendunt, nostra conclusio partim fauet Fasolus 1. p. quest. 7. art. 3. & 4. dub. 8. n. 4. ubi asserit non posse dari infinita corpora non penetrata, licet concedat ibid. num. 3. posse dari vnum corpus

infinitum absque vlla penetratione, quæ ego non annecto, quia in illo corpore infinito infinite extenso, quod concedit Fasol. posset Deus infinitas diuisiones efficere, quibus factis membra diuisa idem possent occupare spatium ac antea: ergo si corpus infinitum potest occupare infinitum spatium absque vlla penetratione, poterunt infinita corpora, in quæ diuisi potest existeret absque vlla penetratione, negatio enim vnionis, seu diuisio non exigeret penetrationem, sine qua eadem corpora vnita poterant existeret.

Vulgare est argumentum ad probandum repugnare corpus infinitum desumptum à duabus lineis in modum pyramidis ductis ab aliquo puncto profunditatis ad circumferentiam, quæ quo magis distarent à centro magis inter se distarent sed distant infinite à centro; ergo inter se infinite distant: ergo illarum intercapedo esset infinita ut probat argumentum, & alias esset finita, quia clauderetur duobus terminis: ergo esset finita, & infinita. Non fido huic rationi, nam dicebam puncto præcedenti non posse dari adhuc possibilem pyramidem infinitam & consequenter dicendum est non posse dari ab vno puncto duas lineas infinitas semper ductas per modum pyramidis, licet possint à puncto quolibet ad aliud in illo corpore assignatum in illam figuram duci, & in infinitum duci, hoc est longius, & longius illam figuram retinere, non tamen infinite distare à centro sub illa figura, ita ut aliquod punctum lineæ pertinens ad pyramidem figuram possit à centro distare infinite, hoc est infinita intercapedo interiecta.

Aliter conclusionem probo: Si daretur corpus infinitum infinite extensum, posset Deus corrumpere aliquam illius partem. Verbi gratia viginti vltimarum, quæ parte corrupta partes contiguae parti corruptæ manerent diuisæ ab aliis. Demus ergo Deum illas partes diuisas, & distantes vnire, & localiter approximare: tunc ut partes illæ approximarentur, deberet totum corpus moueri: ergo relinqueret aliquod spatium, quod antea occupabat: ergo aliquod spatium antea occupatum illo corpore infinito iam non illo occuparetur: ergo posset assignari illud spatium, & dici corpus non pertingit hoc spatium, quod antea tangebatur: ergo poterit assignari terminus talis corporis, spatium enim relictum esset terminus extrinsecus talis corporis, & spatium non relictum immediatum spatio relictum, seu pars occupans tale spatium esset terminus intrinsecus illius: ergo tale corpus esset infinitum ut supponitur, & esset finitum ut probat obiectio: ergo esset finitum & infinitum. Respondet Hurtad. Deum non posse vnire partes diuisas nisi per rarefactionem aliarum præcedentium, vel per nouam productionem partium supplementum spatium, quod occupabant partes corruptæ. Hoc tamen gratis & absque fundamento dicitur: imò contra rationem, quia quælibet pars corporis infiniti potest moueri, ergo totum corpus. Secundò demus Deum creasse à principio illud infinitum absque illis partibus, quas supponimus fuisse creatas, atque corruptas: certe tale infinitum non occuparet sine illis partibus idem spatium adæquatum, quod cum illis occuparet: ergo daretur aliqua pars spatij non occupata infinito productio sine illis partibus, quæ occuparentur, si cum illis produceretur: ergo talis pars spatij esset vltimus terminus corporis infiniti: ergo tale corpus esset finitum, & infinitum. Idem sit argumentum de quocumque infinito: quod si cum illis vltimis quantitatis super illas, quas habere supponitur, viginti vltimas spatij occupabit, quas modo non occupat, quæ partes spatij occupandi si producerentur illæ vltimæ, quæ modò non sunt productæ, essent vltimus terminus spatij quod modò corpus illud occuparet: ergo illud spatium esset finitum, & infinitum: finitum, quia haberet terminum; infinitum, quia occuparetur corpore infinito non penetrato.

Respondet Arriaga non esse inconueniens infinitum claudi duabus unitatibus ultra quas non progrediatur, dummodo partes contentæ intra illas duas unitates, vel duo puncta sint impertransibiles. In hoc sensu asserit Arriaga infinitum posse habere vltimum, quam doctrinam prius docuerat Hurtadus. Eandem amplexati sunt plures recentiores asserentes illa duo puncta vltima non esse propriè terminos, sed impropiè, quia terminos connotat rem terminatam pertransibilem, quæ si impenetrabilis sit etiam vltimum habeat, non dicitur propriè terminos habere. Ego sanè numquam percipere valeo infinitum habens

habens partem ultimam, neque hanc à propriissimo termino distinguo, quam non posse distingui sic proba. De ratione infiniti non est, ut absolute non possit pertransiri, quia eternitas, quæ fuit à parte antea fuit infinita & pertransiit, & dicimus Deum hucusque per eternitatem durasse: ergo de ratione infiniti est non posse ita pertransiri, ut perveniat ab aliquo primo ad aliquod ultimum, ex ea parte, quæ infinitum est: rem explio: Eternitas, quæ hucusque præcessit fuit infinita, in qua non potest aliquod instans reperiri, quod sit primum: quod si reperiretur quæcumque mensura præterisset infinita non diceretur, quidquid enim confingas inter certos, & determinatos dies, est tempus finitum, & non eternitas, alias dicam ego spatium viginti annorum esse infinitum, quia licet habeat primum & ultimum hoc non est contra rationem infiniti, neque quod id, quod est inter primum & ultimum iam pertransierit, erit contra eandem rationem, quia etiam tota eternitas, quæ fuit à parte antea pertransiit. Dices in tota eternitate pertransisse infinitas partes, & in spatio viginti annorum tantum finitas præterisse. Contra: assererem ego in spatio viginti annorum infinitas partes præterisse, & ex nullo capite in tua sententia convinci potero esse finitas, cum asseras inter primum & ultimum posse dari infinitum. Neque tu probare poteris ex alio capite partes præteritas in eternitate esse infinitas, nisi quia nulla est illarum prima: ergo tota ratio infinitatis desumenda est ex negatione primi, & ultimi, neque aliter docti & indocti infinitum concipiunt, nisi carens fine, & absque vlla parte extrema, seu prima vel vltima versus illam partem, quæ est infinite protractum.

Simili ratione probatur non posse Deum creare infinitam multitudinem corporum absque vlla penetratione. Sic illam expendo: Nulla potest assignari multitudo infinita corporum, quæ occupet totum spatium, quod potest occupari: ergo quælibet relinquit aliquod spatium, quod non occupet: ergo spatium ab illa occupatū circumdatur spatio illo, quod non occupat illa multitudo: ergo habet terminum: ergo est finitum: ergo multitudo illa corporum est finita, quia quidquid finitum spatium occupat necessario est finitum. Antecedens proba: Demus multitudinem esse lapidum habentium extensionem vnius palmi: potuit Deus eosdem lapides producere cum extensione duorum palmarum, sed si haberent extensionem duorum palmarum occuparent plus spatij, quam occupant cum extensione vnius palmi: ergo cum hac extensione non occupant totum spatium, quod cum illa occuparent: ergo non occupant totum spatium, quod potest occupari: ergo spatium illud, quod non occupant terminus erit spatij his corporibus occupati: ergo hoc spatium occupatum erit finitum. Simile argumentum fit si Deus crearet infinitos montes, & in quolibet illorum crearet formicam, & postea destructis montibus relinqueret formicas, formicæ illæ immediate applicatæ vel occuparent totum spatium, quod ipsis formicis & montibus occupabatur, vel non totum, sed totidem spatij, quod antea occupabant. Si non totum, ergo spatium occupatum terminaretur spatio non occupato: ergo esset finitum: ergo formicæ non essent infinitæ: ergo si velis defendere esse infinitas, cogeris asserere esse finitas & infinitas: Si dicas occupare formicas solas totum illud spatium, quod ipsæ & montes occupabant, & singulos vngues infinitorum hominum, occupare totum spatium, quod occuparent infiniti homines, quorum erant vngues, quod dicit Maior in 1. dist. 4. q. 3. in 3. quem nonnulli sequuntur, rem dicis mirabiliorem, difficilioremque intellectui hircoceris, & hippocentauris, in quibus nullus repugnantiam adeo manifestam inueniet, sicuti in tuo asserto reperitur. Mille modis eadem ratio expendi potest. Creet Deus infinitos montes, & in quolibet illorum infinitas formicas, vniat ex vna parte quantitatem formicarum, ex alia quantitatem montium: penetrarent hæc quantitates: quæritas formicarum, quæ infinita erit commensurabitur adæquatè cum quantitate montium, ita ut nulla sit pars montium cui quantitatis formicarum pars non respondeat: Si negatiue respondeas: ergo pars illa quantitatis montium, cui non correspondeat pars quantitatis formicarum erit terminus, cui non se extendet formicarum quantitas. Si asseres quantitates has adæquatè commensurari, miræ animi magnitudinem ostendes, minoribus difficultatibus semper meus cedit. Singulæ formicæ singulis montibus penetratæ dum erant diuisæ vix minutulam partem montium occupabāt, & postea sine

additione nouæ quantitatis, eo præcisè, quod vniatur, vel quod contigat sint (non enim obiectio vniorem exposcit, quæ eodem modo procedet de his corporibus contiguis) ita turgescunt ut totos replant montes abique noua quantitate, aut rarefactione?

Vltimò dico non repugnare infinitam multitudinem corporum penetratorum, neque corpus infinitum, cuius partes ita sint penetratæ, ut finitum tantum occupent locum. Conclusio hæc probanda est ex solutione impugnationum, quas adducunt auctores oppositæ sententiæ, quarum plures procedunt contra multitudinem infinitam etiam rerum spiritualium, aliæ verò specialiter contra corpus infinitum, & multitudinem infinitam corporum. De his seq. dicam ubi præcipua argumenta, quæ contra doctrinam traditam adduci solent referam, & solam, aliis plurimis omisiss, si enim omnia argumenta quæ contra infinitum auctores sunt meditati, referenda essent, infinitum hoc opus euaderet. Legatur P. Fafolus supra, qui per otium rem hanc acutè, doctè, & eruditè tractat.

S. II.

Argumenta soluta.

EX S. Thoma q. 7. art. 3. hæc argumenta fieri solent: Omne corpus superficiem habet, sed infinitum non potest habere superficiem: ergo non potest dari corpus infinitum. Respondet Richard. in 1. dist. 43. art. 3. q. 5. S. 3. Non oportet ut in corpore ex hoc, quod corpus est, sit superficies, quia non oportet quod sit superficies, nisi ex hoc quod sit finitum: finis enim accidentalis est & comitans, & ideo ad imaginandum corpus non est necesse, imaginari corpus finitum. Hæc Richardus.

Ego semper auctoritatem D. Thom. ex corde venerans respondeo corpus infinitum ad spatium finitum redactum ultimam posse habere superficiem in ordine ad locum, licet illam non possit habere corpus infinitum non penetratum, ideo concedo posse dari corpus infinitum penetratum, quod figuram habebit non infinitam abique vlla interpretatione, quod illa carebit. Eodem modo respondeo ad alia argumenta, videlicet esse de ratione corporis posse moueri & habere figuram, quæ non possunt conuenire corpori infinito, ex quo inferri intenditur implicare corpus infinitum, quidquid enim sit de veritate maioris, & de bonitate illationis, corpori infinito ad finitum spatium redacto motus, & figura competere possunt.

Specialius contra nostram sententiam arguit Albertinus: 10 repugnat quantitas infinitè extensa: ergo repugnat infinita quantitas. Probo consequentiam: Infinita quantitas exigit infinitam extensionem, sed implicante infinita extensione implicat exigentia ad illam: ergo implicat quantitas, cui hæc exigentia intrinseca est. Dicam in Metaphys. Controuerf. 10. Punct. 2. posse dari relationem transcendentalem & virtutem productiuam realem, etiam si illius terminus implicet, & eadem ratione possem concedere posse dari exigentiam infinitæ extensionis, etiam si extensio infinita implicet. Volo tamen iuxta communiora principia argumentum dissoluere, essentia quantitatis non consistit primariò in exigentia extensionis, sed in exigentia impenetrationis, quæ conuenit toti quantitati ratione partium, quibus constat ex eo præcisè, quod quælibet illarum petit esse extra omnes, seu proprius loquendo petit non penetrari cum alia à se distincta, ex quo fit positus quatuor partibus quantitatis, nullam esse intra aliam, & consequenter esse extra tres alias existentes, quod est per accidens respectu huius partis, quia cum hæc petit existentiam aliarum trium non petit esse postiuè extra tres illas, sed tantum non esse intra illas, quæ exigentia eadem est, siue existant tres partes siue mille, siue infinitæ, quia hæc pars tantum petit non esse intra aliam. Ex hoc infero, quod sicuti possibilis est terminus exigentiæ huius partis, quado existunt tantum finitæ compartes, sic possibilis est quando infinitæ partes eidem coexistunt cum semper sit idem. Ex hoc infero, data quantitate infinita possibilem esse exigentiam quam habet quælibet pars illius, quod sufficit ut possit dari exigentia in quacumque parte quantitatis, & consequenter ut possit existere tota exigentia, quam habet quantitas, quia hæc non est distincta ab illa, quam habent partes, & sicuti respectu huius vniæ quantitatis per accidens se habent aliz vniæ mediata tantum illi vnitz, sic respectu exigentiæ, quam habet hæc vniæ quantitatis per accidens se habet exigentia, quam habent aliz vniæ.

mediatè, & ita, etsi repugnet coëxistentia terminorum, quos respiciunt existentia diuersarum vlnarum, cum non repugnet per se terminus huius, vel illius existentia, neque repugnat hæc aut illa existentia, neque vtriusque coëxistentia, quæ per accidens se habet respectu vlnarum habentiam existentias, & respectu existentiarum. Ad argumentum in forma propositiones has distingue. Quantitas exigit extensionem immediatè, nego; exigit impenetrationem immediatè, & mediatè extensionem, subdistinguo: indiuisibiliter ratione totius quantitatis, nego, non enim petit tota quantitas esse extra se ipsam: ratione singularium partium, concedo. Propositionem aliam videlicet infinita quantitas petit infinitam extensionem hac ratione distingue: infinita quantitas petit infinitam extensionem immediatè ratione sui, nego. Iam enim dixi corpus non exigere vnâ partem esse extra aliam ratione totius, sed ratione partium, quarum vna petit esse extra aliam: ratione partium subdistinguo, ita vt aliqua illarum petat extensionem infinitam, nego, ita vt quilibet petat extensionem finitam, & per accidens, ex coëxistentia infinitarum partium, exigatur infinita extensio, concedo: ergo repugnante infinita extensione repugnat terminus, quem exigit infinita quæritas indiuisibiliter ratione totius, nego suppositum, quem exigit quantitas ratione partium, subdistinguo; quem exigit aliqua pars illarum vel quem per se exigunt omnes, nego consequentiam, quem per accidens exigunt ex coëxistentia infinitarum partium, concedo consequentiam: ergo repugnante infinita extensione, repugnat infinita quantitas, nego consequentiam.

Aliter alij obiciunt: Multitudo illa corporum, quam nos dicimus posse creati à Deo, & esse infinitam, si poneretur in spatio absque illa penetratione occuparet spatium finitum: ergo quando est penetrata est finita, corpora enim quæ sine penetratione finitum spatium occuparent necessariò sunt finita. Respondeo corpora illa infinita, quæ nos dicimus posse coëxistere penetrata absque vlla penetratione posita, occupatura spatium infinitum ex eo, quod infinita sint, & spatium finitum vt intendit obiectio, quæ contradicção vt bene notat P. Fasolus non infertur ex eo quod dentur infinita corpora, sed ex eo quod dentur absque vlla penetratione. Alia argumenta, quæ non specialiter pugnant contra multitudinem infinitam corporum, sed contra omnem multitudinem etiam rerum spiritualium solum Puncto sequenti.

PUNCTUM V.

An repugnet multitudo infinita rerum spiritualium & infinita intensio.

1 **It** Conclusio. Non repugnat infinita multitudo Angelorum, neque infinita qualitatis intensio. Ita P. Fasolus 1. p. arc. 3. & 4. Hurtadus disput. 13. sect. 2. Ariaga distinct. 13. sect. 4. & alij plures apud P. Fasolum, vnica conclusionis ratio est: non posse assignari aliquam repugnantiam his infinitis, hanc probat solutio argumentorum, quibus intendi ostenditur repugnantia.

2 **Obiic.** primò. Dentur infiniti Angeli, quorum singuli singulos habeant gradus gratiæ: si Deus vellet ex eisdem gradibus gratiæ dare cuicumque Angelo duplicem gradum gratiæ, nullo facto additamento graduum, vel posset dare omnibus Angelos binos gradus gratiæ, vel non. Si dicas posse, manifestam dices implicationem, quia tot erant gradus gratiæ, quot Angeli, & non plures: ergo iidem gradus modo inter eosdem Angelis ita distribuendi sunt, vt quilibet Angelus duos fortitur gradus. Sanè si fieret vt in solutione traditur, nulla illustrior chimæra mente poterit fingi, quàm re conceditur. Si non potest Deus omnibus Angelis duos gradus gratiæ dare: ergo illi gradus finiuntur: ergo non sunt infiniti. Respondeo Deum non posse dare singulis Angelis duplicem gradum gratiæ, sed tot sine aliquo esse futuros, quot essent qui duplicem gradum sortirentur, & hos futuros esse infinitos, sicut illos, nego tamen hinc inferri gradus gratiæ non esse infinitos, quia non est contra rationem infiniti totum infumi, & finiri, si ex illo sumantur simul infinitæ partes, sed tantum est contra illius rationem finiri, si successiue ex illo sumantur in quolibet instanti partes finitæ incipiendo ab hac

Franc. de Quirado, Philosoph. Tom. 1.

parte temporis. Si enim Deus ab æterno Angelos creasset vsque ad hoc instans in singulis horis creationes infinitæ pertransissent, quod si hos omnes Angelos infinitos in hoc cubiculo constituisset, etsi infiniti essent, Angelos non haberet vt in duplici cubiculo Angelos constitueret. Ita si Deus resumeret singulos gradus gratiæ, quos infiniti Angeli haberent, & ab hoc instanti inciperet conferre duplicem gradum gratiæ huic Angelo in hoc instanti, & duplicem alium gradum alij Angelo in instanti sequenti, & sic in reliquis, numquam infunderentur illi gradus gratiæ, ita vt ad vltimum binarium perueniretur. Si tamen illos vellet Deus in instanti per binarios simul distribuere singulis Angelis, gradus non haberet in illa multitudine, vt omnes possent duplicem gradum distinctum sortiri.

Instabis: In illa collectione graduum essent infinitæ vnitates: ergo essent infiniti binarij, quia ex finitis binariis fieri non possunt infinitæ vnitates: nulla enim vnitarum finita multitudo bis repetita potest infinitam multitudinem constituere: ergo possent infiniti binarij inter infinitos Angelos distribui, ita, vt quilibet Angelus binos gradus reportaret. Rursus si Deus ex illis binariis singulas vnitates corrumpere, manerent iterum infinitæ vnitates: ergo manerent similiter infiniti binarij, ex quibus eadem multitudo Angelorum posset ita gradibus binis gratiæ donari, vt quilibet Angelus duobus potiretur gradibus, & sic in infinitum possent infiniti binarij fieri, ex quibus singulæ vnitates corrumpantur, & iterum ex relictis vnitatibus alij binarij fierent, & sic in infinitum procedi potest, quod quidem eximium videtur infiniti sacramentum non fidem, sed fictionem exuperans. Mysterium facile aperiam. Ex illis gradibus infiniti fierent binarij, quos infiniti Angeli ferre possent singuli singulos gradus binarios, non tamen omnes Angeli, qui antea simplici gradu gratiæ gaudebant binos gradus gratiæ consequentur, aliud enim est infinitos Angelos infinitis binariis donari aliud omnes Angelos, qui vnum gradum habuerant, modò duplicem obtinere. Primum est verum: hoc secundum est falsum, multitudo enim Angelorum, qui habuerunt simplicem gradum esset duplo maior multitudine illorum, qui modò duplicem haberent, etsi vtraque sit multitudo infinita, quia dari potest vnum infinitum maius alio. Ex hac doctrina facile soluantur reliqua quæ supra obieiebantur: dico enim in quacumque multitudine infinita esse infinitos binarios, quorum si singulæ vnitates corrumpantur remanebunt infinitæ vnitates, ex quibus fieri poterit alia multitudo binariorum, quæ si iterum per binarios distribuatur inter Angelos qui ex multitudine præcedenti corruptionem singularem vnitarum binos gradus habuerant, tunc sufficeret, vt dimidia pars illorum binos gradus reportaret, quæ pars dimidia includeret infinitam multitudinem Angelorum vix repetendam, ne superaretur multitudo præcedenti vnitarum corruptionem.

Obiic. secundò. Infinitum categorematicum includit in actu totum illud, quod syncategorematicum includit in potentia: sed non potest dari in actu totum illud, quod infinitum syncategorematicum includit in potentia: ergo non potest dari infinitum categorematicum. Maior probatur, quia infinitum categorematicum, & syncategorematicum ex eo distinguuntur quod categorematicum dicit actu existens, quod syncategorematicum dicit in potentia. Minorem probo: Producta quacumque multitudine potest rursus produci aliud indiuiduum eiusdem rationis: ergo illa multitudo producta non includit totum, quod includit in infinitum syncategorematicum, in quo includebatur indiuiduum illud, quod remanet producibile, & hac multitudine producta nondum productum est. Respondeo infinitum categorematicum includere finitam multitudinem, quam syncategorematicum includebat, quia syncategorematicum non solum dicit quancumque multitudinem infinitam possibilem, sed totam illorum collectionem & infinitas multitudines infinitas, & non solum omnes infinitas multitudines, sed omnia indiuidua possibilem. Categorematicum autem etsi dicat infinita indiuidua existentia, non tamen dicit existentia omnia existibilia, vnde non solum distinguuntur infinitum categorematicum, & syncategorematicum, ex eo, quod categorematicum dicat entitates existentes, & syncategorematicum possibile, sed ex eo quod categorematicum tantum dicit multitudinem infinitam, extra quam aliæ possunt superesse, syncategorematicum autem dicit totam collectionem

Cc. finem